



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm  
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

**Sanderus, Antoine**

**Antverpiae, 1625**

Donatianvs Brugis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10172**

## D O N A T I A N U S

Brugis.

14. Oct. D O N A T I A N U S ab anno 361. sedit in Remensi Cathe-

drali usque ad annum trecentesimum nonagesimum.  
Sacrum eius corpus quievit Remis in Ecclesia S. Agricola  
usque ad annum octingentesimum tricesimum octauum , quo illud Ebo Archiepiscopus Remensis ad Flandriæ Comitem Balduinum Ferreum transmisit. Is Brugis  
in Basilica S. Mariæ, nunc S. Donatiani dicta collocavit,  
quam Paulus Quartus Papa anno 1559. in Cathedralem  
erexit. Translationis autem à Remensi in Brugensem ur-  
bem hæc teste Molano, occasio fuit. Cùm Normanni &  
Dani tertio Flandriam ferro & igni vastassent. Balduinus  
Ferreus Iuditham Caroli Calui filiam rapuerat & uxorem  
duxerat, sed pace composita , per Nicolaum Primum &  
Ebonem Remensem Episcopum dotis nomine accepit  
totam regionem Scalde, Somona & Oceano terminatam:  
dictusque est Comes regni Francorum & Marchio Flan-  
driæ, eo potissimum nomine , ut aduersus omnem Aqui-  
lonis barbariæ, perpetuus foret regni Francorum propu-  
gnator. Ebo quoque pacis Flandricæ confirmandæ cau-  
sa, & ut feroce gentis animi , cultu religionis mitesce-  
rent, sancti Donatiani corpus Balduino Comiti in Flan-  
driam misit, additis huiuscmodi litteris : *Ego Ebo indi-  
gnus Remorum Archiepiscopus hunc thesaurum super gemmas &  
aurum pretiosum, tibi glorioſſime Marchio Balduine nostrorum  
confilio Clericorum transmitto; Donatianum scilicet Septimum  
noſtra Sedis Episcopum, mira sanctitatis virum, pium exaudi-  
rem, & promptissimum apud Deum intercessorem, tam ſecularibus  
angustijs*

DONA

H

angustiis occupatis, quam peccatorum sceleribus detentis, quod nostris & Antecessorum nostrorum temporibus satis comprobatum est. Eius Sanctique Remigij ac innumerabilem Sanctorum vita scripta, Wandalorum vastatione scias esse deleta. Hunc attestatio ne diuinâ tuae fidei committo, quatenus cum diuino seruitio, in quantum vales, honorifices & secularibus dites. Vale dilectissime in Domino.

## DVNSTANVS

Cantuariensis in Anglia Archiepiscopus.

Exul apud Gandenses.

**G**lasconense Monasterium præter alia fundavit & 19. Maii Abbas rexit Archiepiscopus Cantuariensis exinde creatus, & ab Eduino rege in exilium pulsus, Gandaui diu vixit. Eduino defuncto cum esset in Angliam reuocatus anno 988. & ipse viuere desiit. Causam exilij narrat è Surio Molanus, quod cum esset Abbas in Monasterio quod Glasconiae construxerat, ex præcepto Summi Pontificis Eduinum regem suum, cum Ducibus impudicè & pertinaciter viuentem, asperè increparet. Vnde & Monasterium direptum est. Plura vide apud Surium in vita historia, vel apud Molanum in natalibus.

## DVLCIA MESSINENSIS.

**E**IUS meminit Iacobus Marchantius in sua Flandriæ descriptione. Etsi nihil de ea vel Molanus in natalibus, vel in fastis suis referat Miræus. Quod non adeò mirum; cum non omnia vnius & alterius hominis oculi videre possunt. Ad Marchantium itaque te remitto.

ELEV.

